



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

XVI. De Spe, & Desperatione. Quomodo utramque moderari oporteat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

Noli mala tua facere tibi per impatientiam graviora. Tam miser quisque est, quam se ipse existimas.

5. Omnis aegritudo morâ tandem decrefeit; & licet contumacissimum dolorem tempus adimit, & enervat. Visne igitur diem operiri, quo luctus te invito desinat; an ipse illi finem imponere? Cur non id consilio præripis, quod allatura est diurnitas? Quamvis ipse custodias mœrorem tuum, custodienti tamen elabatur. Nulla enim res citius in odium venit, quam tristitia: quæ dum recens est, consolatorem invenit; inveterata deriderit. Quod si dolore calamitas vincitur, eat omnis inter luctus dies, noctem sine somno mœstitia consumat; ingerantur pectori manus, & sese omni sævitæ genere profecturus dolor exerceat. Sed si lacrymæ inutiles sunt, si nullo fletu adversitas mitigatur, disce te ipsum regere, & omni adversitati invictâ constantiâ obfiste. Turpis est navigii rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantem navim tempestati permisit. At ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem, & undis reluctantem.

## CAPUT XVI.

*De Spe, & Desperatione. Quomodo utramque moderari oporteat.*

1. **S**pes vana, & mendax, & verè somniump. vigilantis est, nisi in Deo collocetur, cuius solo nutu omnis difficultas vinci potest. Quid rei futuræ expectatione cruciaris, & in longinqua cogitationes extendis? Nihil sperabis, si nihil cupies, si omnia terrena despicias. Nemo sperat quæ contemnit. Licet te nunquam sperata deceperint, licet non ex difficili petatur quod speras; quam diu te spes aliqua proritat, sollicitus eris, & incertus tui, ac in ancipiti positus. Ut pedibus loca invia, & prærupta non petis; ita nec animo ea speranda, quæ in tua potestate non sunt. Omne miseriæ momentum hoc est; defuisse voluntati quod speravit.

2. Sæpe admonendus est animus, ut quæcunque extra te, & circa te sunt, aspiciat ut peritura, tenuique filo pendentia. Quid oblivisceris conditionis tuæ? Mortalis natus es: nihil tibi de hodierna die promittitur, nihil de hac hora. Instat à tergo mors; quicquid habes mutuo accepisti.

Ufus fructus tuus est, cuius tempora summus omnium Arbiter temperat. Ad ejus nutum, omnia sine querela reddenda sunt. Pessimus est debitoris, creditori convitium facere. Nihil est ergò sub sole, quod debeas, aut possis sperare. Illa tantum vera est spes, quæ de vero, & summo bono rite concipitur.

3. Desperationem causant inertia, abjectio animi, nimia difficultatum apprehensio, vitiosa sui diffidentia; viriumque & industriæ defectus. Vincitur, excitando animum eorum exemplo, qui etiam in gravioribus angustiis constituti, omnia obstantia generosè superarunt. Incipe, & propelle te ipsum: quia Deus facientes adjuvat; & quod arduum videbatur, facillimum fit, si falsa de illo opinio deponatur. Quicquid accidit tibi, id omne ab æterno destinatum est. Illud autem aut ita evenit, ut natura comparatus es ferre: aut secus; si primum: ne despera, sed fer: sin aliter, nec tunc quidem desperandum: quicquid enim illud est, citò finem & ipsum habebit, & tibi imponet. Leve est, quod ferre potes, breve, quod non potes. Sed memineris, in te situm esse, multa facere tolerabilia; si ea, ut utilia, & convenientia, apprehenderis. Calamitas, virtutis occasio est.

## CAPUT XVII.

*De Timore. Quam vanus sit, & qua ratione vincatur. Audacia vitanda. Quædam iterum de Ira.*

1. **M**agna pars mortalium, cùm nec sit quicquam mali, nec pro certo futurum sit, aestuat tamen, & discurrit, sibi que infortunium vel fingit, vel auget. Non tot reperit cruciatum humana crudelitas, quot patitur animus, futuri anxius; qui sollicitus est, ne bona præsentia amittat, aut mala imminetia eveniant. Multa mala, quæ non essent, sunt, quia timeamus. Quid prodest tibi ante tempus cruciari, & inani providentiâ occurrere ærumnis tuis? An ideo oportet te jam miserum esse, quia quandoque futurus es? Stultum est, dare se referentibus, nullisque apparentibus signis, quæ malum prænuntiant, falsis terrori imaginibus. Sæpe fallaci conjecturâ deceptus, verbum dubiæ significationis detorques in pejus. Sæpe potentis offensam majorem putas, quam revera sit; & cogitas, non quantum iratus  
sit